

Cum quidam rei stipulandi certos habebant reos promittendi, vel unus forte creditor duos vel plures debitores habebat, vel contrario multi creditores unum debitorem, et alii ex reis promittendi ad certos creditores debitum agnoverint vel per solutionem vel per alias modos, quos in anterioribus sanctionibus interruptionibus et invenimus positos et nos ampliavimus, vel forte ad unum creditorem quidam ex debtoribus devotionem suam ostenderunt, vel cum plures essent creditores, debtor qui solus existeret ad unum ex his vel quosdam debitum agnovit, et quaerebatur, si eis vel ei datur licentia adversus alias indevolutionem suam exercere et quasi tempore emenso exactionem recusare, vel quibusdam ex debtoribus debitum agnoscentibus vel in iudicio pulsatis debent et alii ab omni contradictione repelli:

1 ¶ Nobis pietate suggeste videtur esse humanum semel in uno eodemque contractu qualicumque interruptione vel agnitione adhibita omnes simul compelli ad debitum persolvendum, sive plures sint rei sive unus, sive plures creditores vel non amplius quam unus.

2 ¶ Sancimus in omnibus casibus, quos noster sermo complexus est, aliorum devotionem vel agnitionem vel ex libello admonitionem aliis debtoribus praeiudicare et aliis prodesse creditoribus.

3 ¶ Sit itaque generalis devotio et nemini liceat alienam indevolutionem sequi, cum ex una stirpe unoque fonte unus effluxit contractus vel debiti causa ex eadem actione apparuit.

*D. k. Sept. Constantinopoli post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc. [a. 531]*